



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

185. An adratificandum professionem nullam requiratur scientia nullitatis  
professionis praecedntis? Ex p. 6. tr. 7. & Misc. 2. resol. 56.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

RESOL. CLXXXII.

In dubio, an iustus metus incensus fuerit, & an professio sit valida, pro quo sit presumendum? Idem dicendum est, quando dubium est de animo se obligandi ratione metus. Ex p. 4. tr. 3. Ref. 55.

§. 1. Respondeo presumendum esse in valorem professionis, quia cum constet de professione, & excusatio dubia sit, possessio stat pro professione. Ergo: & ita docet Sanchez in summa tom. 1. lib. 4. cap. 3. num. 27. & Bartholomaeus de Vecchis in praxi Novit. disp. 13. dub. 12. n. 22. Et idem dicendum est in dubio si metus intercesserit, nam in tali casu accessisse non praesumitur, ut patet ex l. 2. C. de his que vi, &c. Idem dicendum est quando dubium est de animo se obligandi ratione metus; quia omnia absolute procedunt, quando pro quocumque casu vertitur in dubium valor professionis, nam iudicatur in fauorem Religionis. Ita Suarez de Relig. tom. 2. lib. 7. cap. 2. numer. 6. Lessius lib. 1. cap. 41. dub. 7. num. 76. Gratianus in disceptat. forens. tom. 3. cap. 413. num. 17. Sanchez de ma. trim. lib. 7. disp. 37. num. 12. & alij; quos citat, & sequitur Sanctarellus var. resolut. tom. 1. q. 48. n. 48. sed de hac quaestione supra etiam dictum est.

RESOL. CLXXXIII.

An dubius, virum ante quinquennium elapsam ratificauerit professionem nullam, maneat obligatus? Ex p. 4. tr. 3. Ref. 49.

§. 1. De hoc casu olim interrogatus fui, & negatim respondi cum Merolla tom. 2. disp. 3. cap. 3. num. 283. vbi sic ait. Si fidei professus dubitare incipiat de ratificatione professionis ante quinquennium elapsum, non tenetur stare priori professioni, non enim ante quinquennium praesumit ius ratificationis professionis. Nec obstat, quod in dubio in fauorem Religionis iudicandum sit, nam id intelligitur quando neutri fauet possessio, sed in hoc casu possessio stat pro libertate. Ita ille.

2. Ex his tamen sequitur, quod si professus dubitet an priorem professionem inualidam ratificauerit, post transactum quinquennium, teneatur stare priori professioni; & ratio est, quia in dubio recurrendum est ad coniecturas, & praesumptiones; sed Concilium Tridentinum sess. 25. de Regular. cap. 19. praesumit professum ratificasse suam professionem, si per quinquennium contra eam non reclamauit: ergo professus qui dubitat an priorem professionem ratificauerit, debet praesumere quod eam ratificauerit, si intra quinquennium contra eam non reclamauit, ut se conformet sensui & menti Concilij. Secundo in dubio possessio stat pro Religione, & pro ea etiam exitit praesumptio iuris, & Religio habet ius retinendi dictum Religiosum, & reducendi eum, si ex illa discesserit. Ergo etiam in foro conscientiae debet praesumi quod professus intra quinquennium non reclamans, habuerit animum ratificandi professionem, nisi constet de contraria voluntate. Et ita hanc sententiam praeter Merollam vbi supra, docet etiam Sanctarellus in var. resolut. part. 1. quaest. 48. n. 46. & seq.

RESOL. CLXXXIV.

An ignorans nullitatem professionis, vel impeditus ad

reclamandum intra quinquennium, possit adhuc reclamare, non obstanti Concilio Tridentino sess. 23. cap. 9. de Regular. Et quia est dicendum, si re vera scit professionem esse nullam, & labi quinquennium, ac nullo modo ratam habuit professionem, an possit adhuc reclamare? Et an dimissio temeraria habitus non impediat, ut Regularis non audiat super nullitate professionis, si postea eundem habitum reassumat, non obstantibus verbis Concilij? Ex p. 3. tr. 2. Ref. 53.

similis casus a ceteris, lege infra tr. 2. ex Ref. vniuersae doctrinae, & Denique non obstat, & si vides eam per totam, non pigebit.

§. 1. Negatiuam sententiam docet Bonacina de clausura, quaest. 2. punct. 10. diff. 4. n. 5. quia Concilium loco citato concedit, Religiosum audiri solum intra quinquennium: ergo non permittit ipsum uti alio remedio, cum eo uti non possit, nisi audiatur Deinde in pari causa Restitutionis in integrum inter duos minores, melior est conditio possidentis, l. si minor, ff. de minor. Sed Religio privilegio minoris gaudet, cap. 1. de in integ. restit. ergo Religiosus non potest contra Religionem uti privilegio restitutionis in integrum.

Sup. hoc in tom. 6. tr. 1. lege doctrinam Ref. 69. signanter, & item decretum, in principio, & hic supra vide doctrinam Ref. 181. & alterius ref. eius secunda not.

2. Sed affirmatiuam sententiam profus susinendam esse puto, quam tuerent plures Doctores, quos citat, & sequitur Sanchez de marr. tom. 2. lib. 7. disp. 37. a num. 22. usque ad n. 27. qui respondet ad argumenta Bonacinae. Et ita hanc sententiam docet etiam nouissimè Villalobos in sum. tom. 2. tract. 35. diff. 25. n. 9. & ante illum Lessius lib. 1. c. 41. dub. 7. n. 66. Azorius tom. 1. lib. 12. c. 4. q. 10. Gratianus in discept. tom. 3. cap. 413. n. 9. & c. 440. n. 25. Miranda in manuali Pralat. tom. 1. q. 22. art. 3. concl. 2. cum aliis.

3. Sed plus addit Sanchez loco cit. n. 28. vbi probat, quod in foro conscientiae maior, qui reuera sciuit professionem fuisse nullam, & labi quinquennium, intra quod solum conceditur reclamatio, at nullo modo ratam habuit professionem, possit reclamare, & deducere causam ad forum externum, petens restitutionem in integrum ratione iustae ignorantiae, postquam petito se iuramento, id iureiurando affirmare, quia reuera in foro conscientiae, non est professus, & potest fugere; quod si denegetur audientia, est ob ratificationis praesumptionem, & iuramentum illud, quo se ignorasse testatur, sic accipiendum est, quia ignorauit, id est, non habuit scientiam, qua ratam haberet professionem, sicut Tridentinum praesumit. Ita Sanchez, qui alias rationes adducit.

4. Notandum est tamen hic obiter pro intelligentia Concilij Tridentini vbi supra, quod dimissio temeraria habitus non impedit, ut Regularis non audiatur super nullitate professionis, si postea eundem habitum reassumat, non obstantibus illis verbis Concilij, quod si ante habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandam quancumque causam admittatur. Et ita docent Riccius p. 4. dec. 48. n. 10. Portel in dubiis Regular. verb. Professionis nullitas, n. 45. Campanili in diuersis iur. can. trib. 12. c. 11. n. 18. Suarez de Relig. tom. 3. lib. 7. cap. 3. n. 14. Miranda in manuali Pralat. tom. 1. q. 3. art. 6. concl. 1. Barbola de potest. Episcop. p. 3. alleg. 104. n. 12. Gratianus in discept. tom. 3. c. 413. n. 7. & 8. & Villalobos in sum. tom. 2. tract. 35. diff. 25. num. 4. & alij.

RESOL. CLXXXV.

An ad ratificandam professionem nullam requiratur scientia nullitatis professionis praecedentis? Ex p. 6. tr. 7. & Misc. 2. Ref. 56.

§. 1. Ex communi Doctorum sententia affirmatiuè respondet Franciscus Bordonus tract. de professione

*professione Regulari, cap. 6. n. 9. vbi citat Nauarrum, Rodriquez, Sanchez, & Bonacinam, quibus ego addo Caietanum in 2. 2. q. 18. art. 5. Azorium part. 1. lib. 12. cap. 4. quæst. 7. Suarez de Religione, tom. 3. lib. 7. cap. 1. num. 4. Lessius lib. 2. c. 41. dub. 7. n. 60. Layman. lib. 4. tract. 5. cap. 5. n. 9. & Caltrum Palaum tom. 3. tract. 16. disp. 2. punct. 5. n. 3. Et ratio est, quia voluntas non fertur in incognitum: ergo si vult ratificare professionem debet eius nullitatem prænouisse: tum quia ignorans non consentit, si per errorem ff. de iurisdict. omni. iudic. caus. 29. quæst. 1. in iuris: Ergo ignorans nullitatem suæ professionis per quemcumque actum subsequenter, etiam intentione eam ratificandi, non ratificat, si ignoret eius nullitatem: nisi ratificet ex suppositione quoddam sit inualida.*

2. Dicendum est igitur non posse ratificari professionem, nisi professus professionis antefactæ nullitatem cognoscat: quia habere non potest voluntatem ratificandi professionem nisi cognoscat ratificationem esse sibi possibilem: sed ratificatio possibilis non est, nisi professio nulla existerit: ergo non potest habere voluntatem ratificandi, nisi nullitatem professionis cognoscat. Ab hac tamen regula excipiendus est, qui vellet professionem suam ratam esse, si fortè à principio fuit inualida: sic enim esto inualidam esse non cognoscat determinatè, tamen sub statu possibili, & sub ea conditione eam ratificare intendit, quod sufficiens est ad inualidam professionem ratificandam, vt bene annotauit Lessius lib. 2. cap. 41. dub. 7. num. 60.

3. His tamen (attendant Lectores) non obstantibus, nouissime Sacra Rota in causa Vlixbonen. nullitatis professionis die 17. Maij 1641. coram doctissimo, & amantissimo Domino meo Carillo negatiuam sententiam tenuit, attestando quoddam affirmatiuam sententiam, vt minus tutam, Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Interpretum non amplectitur, sed potius contrarium pluries declarauit. Ego circa hoc plures difficultates habebam; sed vt par est dictis decisionibus humiliter acquiesco. Non desinam tamen adnotare olim Sacram Rotam decis. 179. n. 7. & decis. 397. n. 5. part. 4. sententiam affirmatiuam tenuisse.

## RESOL. CLXXXVI.

*Quidam professus ex causa metus annullauit professionem suam, postea matrimonium inire volebat, quæsit à me, an licitè fieri possit? Ex part. 6. tract. 7. & Misc. 2. Resol. 51.*

§. 1. **D**ictus Religiosus intrepidè asserbat iam suam professionem fuisse nullam, & ex hoc matrimonium inire ei non esse interdictum, cum votum Religionis iam euauisset. Respondi toto cælo errare: quia etiam cognita nullitate suæ professionis non remanet liber à voto castitatis, ac proinde eum non posse contrahere matrimonium, vt patet, ex cap. placet 12 de conuers. coniugat. nam cum castitas sit annexa essentialiter statui Religioso, vt probat Sanchez de matrimonio, lib. 7. disp. 25. num. 8. Sequitur vt professionem faciens in Religione emittat per se & principaliter votum castitatis: ergo licet istud votum non valeat tanquam solemne, valebit tamen eo modo, quo valere potest, nempe tanquam simplex. Et ita docet Paludanus in 4. dist. 37. quæst. 1. num. 2. Sanchez lib. 7. disp. 27. num. 13. Tiberius in instruct. Ordinand. cap. 11. quæst. 80. & alij.

## RESOL. CLXXXVII.

*An Religiosus nulliter professus incurrat suspensionem,*

*si ordinetur, & irregularitatem si celebret? Et in §. ultimo huius resolutionis docetur, quid facere debeant Episcopi, quando Regulares ordinant? Ex p. 4. tract. 2. Res. 82.*

§. 1. **A**ffirmatiuè respondeo, tum quia Ordines sacros sine titulo suscipit, tum quia accedit ad Ordines sine litteris dimissorijs legitimi Prælati, & ideo consequenter incidit in suspensionem, & si celebret, irregularitatem incurrit, nisi ignorantia, vel metus infamiae excuset à culpa suscipientem, vel exercentem Ordines susceptos sine valido professionis titulo; leges enim humanæ cum graui incommodo obligare non solent, & hæc omnia docet Bonacina tract. de clausura, quæst. 2. punct. 10. diff. 5. n. 4.

2. Sed ego hic pro Dominis Episcopis aduertam quid facere debeant quando Regulares in sacris Ordinibus ordinant, nempe nullum Regularem ordinare nisi iuratum, scripseritque suo chirographo confirmato affirmet coram Antistite, se quemadmodum fecerit professionem, ita firmam & ratam semper habuisse, quod scriptum in Episcopali archiuo asseruandum Cancellario tradat; & ita ordinabat Regulares Eminentiſſ. Cardinalis Fridericus Borromæus Archiepiscopus Mediolanensis, vt patet in sua institutione pro ordinandis, edita Mediolani anno 1602. fol. mibi 110. & ideo Bartholomæus Gauantus in enchirid. Episcoporum, ver. Ordines maiores, n. 28. sic asserit: regulares titulo paupertatis ordinentur, sed iurent coram Episcopo se spontè professionem solemnem emisisse, aut ratam habuisse. Ita ille, qui etiam citat Synodum Prouincialem Quintam Mediolanensem.

## RESOL. CLXXXVIII.

*An Regularis, qui scit professionem suam irritam, & ordinatur, peccet mortaliter, & sit suspensus? Ex p. 3. tr. 2. Res. 113.*

§. 1. **H**ic casus olim accidit, & de illo interrogatus fui, & tunc affirmatiuè respondi, & addidi Laurentium Portel in dub. Regul. v. Ordine sacro, n. 8. vbi sic ait. Qui fecit professionem irritam, & hoc si notum est, peccat mortaliter; si permittat se ordinari Ordine sacro; ordinatur enim tunc sine titulo patrimonij; quod est contra ius commune, & præterea manet suspensus. Ita ille, qui citat Emanuelem Rodriq. in addit. ad summ. tom. 4. cap. 65. num. 10. & Sayrum de cens. lib. 4. cap. 13. n. 14. quos nouissime citat etiam, & sequitur Hieronymus Rodriq. in compen. qq. Regul. resol. 106. num. 25.

## RESOL. CLXXXIX.

*An hodie virtute privilegiorum possint Regulari expellere Religiosos propter delictum graue semel perpetratum, non obstante Decreto Urbani VIII. de vit. & fugitiuis? Et notatur, quod generales Societatis Iesu hodie possint expellere suos subditos ex alijs titulis, quam incurribilitatis. Ex part. 9. tract. 9. & Misc. 4. Res. 58. alias 57.*

§. 1. **I**oseph. Gibalinus nouissime edidit suas celeberrimas Disquisitiones Canonicas de Clausura Regulari, & in Disquis. 2. cap. 4. §. 13. num. 67. affirmatiuam sententiam docet; sic enim asserit. Dico quod non esse perpetuo necessariam propter dictam incurribilitatem ad expulsionem, quæ iusta aliquando exit propter vnum aliquod crimen graue, & scandaloſum.

Quamuis nō plenè sup. doctrina seq. huius R. lege tamen supra doctrinā §. vlt. Ref. 179 & infra 341 & inferius in tr. 2. ex Ref. vnica & latissima eius doctrina, vbi de §. Quod confirmatur.